

**H**Æc Domino Domno Ludovico prole Menezes  
Progenito ex alta terque, quaterque viro;

Quo Comite illustri felix Ericeria gaudet,  
Cujus consilio Curia magna sedet;

Qui videt, atque videt celsi patrimonia Regis:  
Nam videt, in cumulos crescere crede nimis;

Cum regat, utilitas populo non pauca redundat,  
Illius utilitas solus & ipse labor;

Auri nulla fames, argenti nulla cupido est,  
Aurea progenies spernere namque solet;

Arma virum celebrant: qualis nam Cæsar in armis  
Floruit, unâ armis Cæsar & iste sciens;

Ipsè Comes comites valide ducebat in hostes,  
Namque Comes titulo Marte scit esse comes;

Non fuit assimilis; quisquam licet invidus esset;  
Attamen invidiæ magna ruina fuit:

Ergo magnanimus, fortissimus, integer iste:  
Hæc voveo, atque dico, consecro, sisto libens.



# PROPRIMO

— Hic ad sunt celebres examine mentes,  
Quas apices Juris non sine mente vocant.  
Descendunt variæ nativo fonte fluentes;  
Namque etiam est hujus fontis origo caput.  
Dicitur hoc primum: si vis agnoscere, Sexto  
De Testamentis fertur adesse libro.

*Præsides insignis, cujus præclara, Magister,  
Fama volans tangit sydera clara poli;  
Scilicet Emmanuel da Costa nomine, juncto  
Almeyda; hoc gaudens alma palæstra viro est.  
Vespertina nitet Canonum augustissima sedes,  
Cum sedet, & Sacra Sedis in vrbe micat;  
Et Fidei causas Index æquissimus iste  
Ponderat, haud ullum pondus habere putat.  
Atque domus Divi Pauli Regalis in isto  
Collega insigni constitit, atque stetit.  
Sæpius obtinuit Rectoris nomen, at ingens  
Immo sibi nomen condidit ipsa domus.*

Ut teneat GUILIELMUS nomine SA SALAZAR,  
Exhibet appositas Martius hæc palam; *dic 27 hora 3.*

*Nunc apicem Juris proponet quæstio princeps,  
Estque apicem vere quæstio summus apex:*

Vtrum substitui quædam persona valebit,  
Instituique? Legens elige quidque tibi.

Substi-



- 1 **V**erbi *substituo* à *statuo* dimanat origo.
- 2 *Substituo* in genere, & specie florescere cōstat.
- 3 *Substitui* in genere est, cum quendam subrogat alter.
- 4 In specie apparet, cum quis proponitur hæres.
- 5 Hoc tale in specie sumptum jus comprobat omne.
- 6 In genere, aut specie sumes ex mente loquentis.
- 7 Si mens non constet, stricte tunc sumere debes.
- 8 *Substitui* fuit inventum, neu quilibet absque  
Mortuus hæredis maneat testator honore.
- 9 *Substitui* plures acceptum est posse gradatim.
- 10 *Substitui* est equidem (ex quo diffinitio fulget)  
Post alium institui hæredem, instituique secundó.
- 11 Et genus, & species certe monstratur in illa;  
Cunctaque, si videas, valde præcisa reident.
- 12 *Substitui* vulgare patet quod continet ipsa.
- 23 *Pupillare* quidem, atque vnâ complectitur illud  
*Substitui*, heroes quod fit per bella gerentes.
- 14 Si quis substituatur legatis quenlibet, istud  
*Substitui* tunc diffinitio nostra recusat.
- 15 *Institui* verbum, positum quod cernis in ipsa,  
Et stricte, & lato gaudet clarescere sensu.
- 16 Id late accipitur, cum solum noscitur hæres.
- 17 Et stricte hæredem iustum est ostendere primum.
- 18 Vtrum *substitui* vere, proprieque vocari *Pròblem.*  
*Institui* possit? Quod tu vis, elige lector.
- 19 Hoc late, aut stricte dicentis mente relucet.
- 20 Accipitur stricte, si mens obscura silescat.
- 21 Vtrum contineat fideicommissa rigore  
*Substitui*? Verum pulchra ratione negamus.
- 22 Non capit hæc ergo fideicommissa relata,



Quæ supraposita est jam, diffinitio nostra.

- 23 Substitui fertur succedendi ordine tantum  
Post alium institui : scripturæ spernitur ordo.
- 24 Nec non substitui succedendi ordine fertur  
Institui primò: mentem jus adjuvat istam.
- 25 Substituique prius poni, scribique valebit,  
Quam primò institui, & primum sic forte manebit.
- 26 Postremò adscripto debet tunc cedere primum.
- 27 Sed non substitui poterit vir quisque puellis,  
Quin prius hæredem scribant sibi quenque parentes.
- 28 Hæres si primus possit successor adesse,  
Jure quidem valido tunc debet abesse secundus.
- 29 Siq̄ hæres adsit primus, Prætore vocante,  
Hæres post ipsum tunc non admittitur alter.
- 30 Ergo non ambo pariter concurrere possunt.
- 31 Quæritur, vtrum eadem possit persona secundo,  
Atque loco fieri primo hæres? Elige, lector.
- 32 Et non mutata causa persona valebit  
Substitui, instituique simul, quod jure decorum est.
- 33 Cum diversa datur successio; quilibet hæres  
Substitui, instituique potest, ratione probante.
- 34 Ex paucis minime legatis causa resultat  
Mutata, & noviter successio nulla manebit.
- 35 Cedula substitui merito retinere repugnat.
- 36 Si testamento firmetur cedula facto,  
Substitui nec non omnino corrui omne.
- 37 Militibus vero nequeunt prædicta placere.
- 38 Cedula militibus simplex nihil utile præstat.
- 39 Cedula conservat fideicommissa relicta.

*Problema.*

*Substitui*



*Substitui vulgare loco hoc postinde patebit.*

40 **S**ubstitui vulgare suum sibi vendicat ipsum  
Nomen, nam nimium vulgaris forma videtur.

41 Indequae sic fertur causa facientis id ipsum.

42 Quique capit lucrum, splendorem nominis addit.

43 Denique sic fertur, nomen quia praestitat usus.

44 Nomine vulgari fideicommissa carebunt.

45 Pupillare quidem proprie vulgare refertur. *Paradoxus.*

46 Substitui vulgare ita diffinire licebit:

*Post alium haeredem institui est, quod cuilibet, atque  
A quocunque potest fieri: sic jure notatur.*

47 Explicat egregie illud diffinitio talis.

48 Ipsum substitui praecedit caetera longe.

49 In dubio idcirco solummodo noscitur illud.

50 Formaue vulgaris pateat: *sit Titius haeres:*

*Sed si non fuerit, tunc sit Sempronius haeres.*

51 Formae praedictae est pendens essentia casu.

52 Hunc, *si non fuerit*, casum sic construe: *sive*

*Quencunque haeredem scriptus non fecerit haeres.*

53 Forma duos casus vulgaris continet ista:

*Heres si nolit, seu si non possit adire.*

54 Casu uno expresso, tacite comprehenditur alter.

55 Taxativa tamen, *solum, solummodo, tantum,*

*In solo expresso contendit sistere casu.*

56 Advocat abjectum defuncti clara voluntas.

57 Substituensque parens nato si dixerit: *Heres*

*Si non sit natus; casus non subjacet alter.*

58 Substituens servo Dominus, si proferat: *Heres*

*Si non sit servus; casum complectitur unum.*

59 Substitui vulgare duplex non dicitur aequae.

60 Cujus descendit gentili a jure potestas.



- 61 Forma tamen præstans civili à jure cucurrit.  
 62 Substitui vulgare tacet per sæpe puello.  
 63 Sæpius expresse componunt verba loquentis.  
 64 Pro parte expressum, & tacitū pro parte negatur.  
 65 Non sine conditione viget, verum indiget ipsa.  
 66 Illi conditio satis est intrinseca talis.

*Dicti substitui effectus locus exhibet iste.*

- 67 **S**ubstitui vulgare nequit spoliare favore,  
 Quem fuitas affert, natos; potiusque virefcit.  
 68 Sponteque permittit natis retinere necesse.  
 69 Filius idcirco tunc conditione carebit;  
*Si velit:* hæc etenim nequicquam subvenit illi.  
 70 Substituique ipsum binos ostendere casus  
 Dicitur hoc casu, natos Prætorè juvante.  
 71 Et nequit à servo prædictum auferre necesse.  
 72 *Si velit* in servo recte non pullulat ergo.  
 73 Si Dominus dicat; *sinolit:* jamque necesse  
 Tollitur in servo, & servum regit ipsa voluntas.  
 74 Cum suus in quenquam transmittit jura, manebit  
 Alter post illum frustratus, & irritus hæres.  
 75 Hunc etiam excludit transmissio sanguine pollēs.  
 76 Si quisquam é vivis intra annum cesserit hæres,  
 Omnia transmittit, rejecto hærede secundo.  
 77 Si testamento vires non præbeat hæres,  
 Ut valeat, primus; præsto dabit ipse secundus.  
 78 Non, nisi, postremus, primus cum deficit hæres,  
 Præoptus adest, liciteque sibi non cōmoda quæret.  
 79 Substitui tantum, qui primi hæredis honorem  
 Possit habere, potest, primus si existeret hæres.  
 80 Post alium scriptus proprie appellabitur hæres.



- 81 Sustinet hæredis pondus; non commoda defunt.
- 82 Hic legata dabit, quæ primus solveret hæres.
- 83 Filius hæredis titulum cum rejicit, hæres  
Post illum positus, secluso patre, vocatur.
- 84 Militat hæc alio pariter resolutio casu,  
Si nato extincto, non detur certa voluntas.
- 85 Hæres si servus fortasse recuset adire,  
Postremo hæredi Dominus tunc cedere debet.
- 86 Hæc eadem pariter casu conclusio fulget,  
Quo periit servus, neque declarata voluntas.
- 87 Sed bona non præsto postremus percipit hæres,  
Occupat at spatium finito temporis ullo.
- 88 Et bona testantis Monachus si spreverit hæres,  
Eit locus hæredi postremo, ut possit adire.
- 89 Hoc ita procedit, Monachi si spiritus absit,  
Atque voluntatem non expressaverit ipse.
- 90 Jus succedendi immutabile possidet hæres.
- 91 Hærede indigno facto, non fiscus, at hæres,  
Nec dubium est, scriptus statim postremus adibit.
- 92 Hoc etiam dices, si indignus nolit habere.
- 93 Non facta hoc casu fisco fraus ulla videtur.
- 94 Quando adit indignus, fiscus tunc dicitur hæres.
- 95 Jus accrescendi postremus destruit hæres.
- 96 Si vero hæredi jus advenit inde secundo  
Accrescēs, proprias certum est non perdere vires.
- 97 Quantumvis taceat, jus labitur omne, secundus.
- 98 Substitui vulgare suum non judicat esse  
Effectum, parvo auxilium præstare puello.
- 99 Effectumque negat proprium legata soluta,  
Quæ primo hæredi testator solvere jussit.



*Quomodo substitui pereat vulgare videbis.*

- 100 **Q**Uādo primus adit, postremus tollitur hæres.  
101 **Q**Uum suus existit postremus permanet hæres.  
102 Si minor abstineat se se, postremus adintrat.  
103 Hic dumtaxat erit merito Prætorius hæres.  
104 Ille tamen nudum hæredis tunc nomen habebit.  
105 Ipsi postremo licet utilis actio tantum.  
106 Substituique gradus cunctos vulgare secundum  
Omnino emoriens, adeunte hærede, peribit.  
107 Si quis disponens primis vir quenque duobus  
Substituatur, talis, quocumque adeunte, recedit.  
108 Si bona subsidio Prætoris forte petito,  
Hæres primus habet, jam tunc extinguatur alter.  
109 Denique substitui tacitum vulgare, puellus  
Cum fiat pubes, non evanescere dices.

*Substitui puerile loco monstrabitur isto.*

- 110 **I**PSi substitui nomen tribuere decorum  
Pupilli; à pueris puerili nomine splendet.  
111 Dicitur hoc; factò quod jam sibi testamento  
*Exponunt patres natis, quos magna parentum  
Protegit, atque regit parvos ætate potestas;  
Scilicet ad casum, proprio quo jure fruente  
Exhalent animas afflicti morte puelli.*  
112 Pullulat ex dictis nunc diffinitio clare.  
113 Hæc placet, hæc etenim nimium præclara videtur.  
114 Substitui pueris Romanis moribus ortum  
Dicitur, hoc Romæ primò statuere parentes.  
115 Hoc fuit haud dubio civili à jure receptum.  
116 Vtrùm juridicis constet procedere normis *Problema.*  
Cōueniens? Quodcunq̄ tibi, precor, elige, lector.



- 117 Hujus substitui favor est puerilis origo.
- 118 Illius haud certam formam jus exprimit vllam.
- 119 Testator poterit verbis præbere quibusque  
Hæredem nato, quem perdocet ipse, puello.
- 120 Forma frequens, pueris hæres qua conditur, ista:  
*Instituo natum: fuerit si filius hæres,*  
*Absit & impubes; illi sit Titius hæres:*
- 121 Atque ita substitui poterit: *mibi filius esto*  
*Impubes hæres: illi sit Lucius hæres.*
- 122 Et bené substitues: *hæres sit filius: illi*  
*Succedat Paulus; Petrus succedat amicus.*
- 123 Hic tamen haud patri, sed nato permanet hæres.
- 124 Nec non substitui licitum est: *sit filius hæres:*  
*Substituo Paulum: sic Paulus adire valebit.*
- 125 Cum testator ait; *si exceßerit ipse puellus,*  
*Sit mihi successor Paulus: puero esse valebit.*
- 126 Hoc habet inde locum, natum si forte iuvanti  
Hæredis titulo placuit privare parenti.
- 127 Sique pater dicat: *natus si morte puellus*  
*Expiet, Paulo liceat succedere rebus*  
*Inde meis: ipsi succedere jure licebit.*
- 128 Substitui expresse, aut tacite quis posse negabit?
- 129 Expressum faciunt verba expressata parentis.
- 130 Conjecturata tacitum de mente resultat.
- 131 Substituet pater is tantum, cui magna potestas.
- 132 Tempore, quo moritur, debet testator habere.
- 133 Et iuvat hanc patri, quando testatur, adesse.
- 134 Dicti substitui est essentia dicta potestas.
- 135 Tempore non vero medio præcisa videtur.
- 136 Hæc erit assistens hodierno jure parenti.
- 137 Quanvis deficiat fuitas, hæc sufficit illi.
- 138 Substituique potest iusta ratione nepoti.



- 139 Tempore mortis avi non patri audire licebit.
- 140 Substitui ut valeat, natos Mavortius heros  
Imperio pariter magno, patrioque domabit.
- 141 Substitui prohibent Regalia jura nepoti.
- 142 Si quis sub patriam redigat, sive adroget vllum,  
Inde potestatem, tunc Regia jura nepoti  
Substitui ex ipso genito decernere constat.
- 143 Sufficit utque sui fiant moriente nepotes  
Juris avo, ut valeat testatio facta puellis.
- 144 Eligere hæredem patri permittitur illis,  
Qui, patre sublato, capere emergere ventre  
In lucem, atque domos uterinas linquere matris.
- 145 Substitui hoc fieri natis á matre negamus.
- 146 Si tamen imperio jubeat fortasse valebit.
- 147 Imperium genitor magnum si solverit, ipsum  
Substitui frustra genitis exponere curat.
- 148 Dicitur hoc etiam, genitor si exerceat arma.
- 149 Illicite genitis nequeunt præstare parentes  
Hæredem, ut capiat sibi res quascunque relictas.
- 150 Ut quis substituatur, patriam noviora requirunt  
Jura potestatem; sine qua labor omnis inanis.
- 151 Regia jura petunt; possit plebeius ut illud  
Substitui explanare suis pater ore puellis,  
Quos illegitimo coitu pater ipse creavit.
- 152 Mechanici patres Regalia jura secundum  
Sic genitos nequeunt jussu cohibere potenti.
- 153 Substituique decet, quisquis quos adrogat, illis.
- 154 Et pariter quoscunque libens sibi quisquis adoptat.
- 155 Recte substituent natis quicunque parentes,  
A quibus utilitas omnino ablata bonorum.
- 156 Hac sane utilitate carens non desinit esse  
Sub patris imperio natus, sacrisque paternis.



- 157 Congrua substitui valde est impuberis ætas.
- 158 Quantumvisque loco maneat quocunque statutum,  
Scilicet, ut nequeant sibi testamenta minores  
Condere, queis ætas non dum vigesima quinta  
Venerit; haud poterunt hæredem ponere patres.
- 159 Puberibus talem miles sine jure relinquit.
- 160 Substitui poterit pro toto tempore, sive  
Pro parte ætatis pupillo temporis vlla.
- 161 Expressum tempus tacitum tunc spernere debet.
- 162 Substitui hoc pendens etiam est hærede paterno.
- 163 Non prius exponi poterit, quam appareat hæres.
- 164 Sed prius ostendi, si proponatur eodem  
Contextu, poterit; cum non datur intervallum.
- 165 Expositum primó noviori jure tenetur.
- 166 Post patris hæredem longe lex approbat ipsum.
- 167 Si pater hæredem adscribat sibi, sique puello  
Constituat verbis, certe consistere notum est.
- 168 Elogium miles metuendo Marte cruentus  
Construit absque suo natis: dant jura favorem.
- 169 Si patris ex ulla pereat testatio causa,  
Insimul elogium pueri collabitur omne.
- 170 Sed noviter constat, quod, rupto forte paterno  
Elogio, retinebit adhuc puerile vigorem.
- 171 Filius extremam mentem si quisque parentis,  
Hæredem, impugnet, certum est durare puello.
- 172 Judicium patris supremum cumque querela  
Corruat, & nati dubio sine corrui hæres.
- 173 Sique voluntatem intentata querela supremam  
Haud totam extinguat, pueri servabitur hæres.
- 174 Adversus tabulas possessio sique petatur  
Præcipuas, hæres impuberis inde manebit.
- 175 Et viget hoc quando possessio proxima nato

Infer-



- Infervit, mentemque patris rescindit iniquam.
- 176 Duntaxat suus existens corroborat hæres  
Pupilli elogium, & solùm existentia firmat.
- 177 Si tamen existat solùm, legata vacillant.
- 178 Substitui factum directis hocce loquelis  
Si cadat, haud fideicommissi jure valebit.
- 179 Hoc pariter fulget casu, quo nulliter ipsum  
Principio statim puero pater exprimit ore.

*Talis substitui effectus jam cernere restat.*

- 180 **S**ubstitui expresso tacitum vulgare sub isto  
Comparet velut effectus, meritoque resulat.
- 181 Hoc vulgare quidem tacitum non fictio legis  
Induxit, quæ est omnino contraria vero.
- 182 Hoc introduxit quædam præsumptio juris.
- 183 Si genitor dicat: *meus & si filius hæres*  
*Extiterit, tener impubes decedat & ipse;*  
Substitui latet hic adeo vulgare sub istis.
- 184 Si non ætatis fiat pro tempore toto  
Substitui, tacitum referunt vulgare latere.
- 185 Delitet in casu tacitum vulgare, cohæres  
Quo datus est hæres nati puerilibus annis.
- 186 Impedit hoc vero defuncti adversa voluntas.
- 187 Excluso puero, tacitum non advenit ipsum.
- 188 Præterito nato, minime quoque nascitur illud.
- 189 Pupillare patres, simul ac vulgare parantes  
Substitui tacitum vulgare repellere fertur.
- 190 Hæres pupillo factus succedit, & hæres
- 191 Ipsi fit puero: quo effectus noscitur alter.
- 192 Non tantum patris acquirit, sed quælibet hæres,  
Prospera pupillo quæ fors, bona, contulit ipsi.



- 193 Legitimis puero factus præponitur hæres.
- 194 Pupilli matrem nec non excludit amantem.
- 195 Atque foro interno conclusio dicta vigescit.
- 196 Substitui pueris tacitum non matribus obstat.
- 197 Ast adversa patris mens supradicta refellit.
- 198 Quando alij nato natus proponitur hæres,  
Substitui tacitum matri puerile nocebit.
- 199 Si consanguineum fratrem pater inde puello  
Substituat fratri, debent prædicta placere.
- 200 Sique pater propriam materno vinctus amore  
Substituat matrem, tacitum puerile parentem  
Dilecti pueri dilectam expellere constat.



CONIMBRICÆ, *Superiorum Gratiâ:*

Apud EMMANUELEM DIAS Universitatis Typographum.  
Anno Domini 1688.






- 193 Legitimus pater factus proponitur hares.
- 194 Pupilli mariti nec non excludit amantem.
- 195 Adque foro in cetero conclusio dicta viget.
- 196 Substitui pater factus non maritus obstat.
- 197 Ad adverte patris mens super dicta rescilium.
- 198 Quando alij nato natus proponitur hares.
- 199 Si continguntur factum pater inde puello.
- 200 Sique pater propriam maritum vincit amore.
- 201 Substituit maritum factum puerile parentem.
- 202 Dilecti pueri dilectam expellere constat.

CONIMBRICÆ, Superiorum Curia.

Apud EMMANUELEM DIAS Universitatis Typographum.

Anno Domini 1888.



- 183 Si non alij nato natus proponitur hares.
- 184 Substitui pater factus non maritus obstat.
- 185 Delicti in cetero conclusio dicta viget.
- 186 Quo datu factum pater inde puello.
- 187 Impedit hoc factum pater inde puello.
- 188 Excluso pater factus non maritus obstat.
- 189 Præterito nato natus proponitur hares.
- 190 Pupillare patres, iuris ac vulgare parantes.
- 191 Substitui factum pater inde puello.
- 192 Hares pupillo factus pater inde puello.
- 193 Ipsi fit pater factus pater inde puello.
- 194 Non tantum patris acquirit, sed qualibet hares.
- 195 Prospera pupillo qua fors, bona, contulit ipsi.